

illis contrarium repudiat. Hanc hæresim sine nomine auctoris Philastrius refert c. 60. sed Alogianorum, sive Alogorum dici posse, censet Epiphanius hæres. 51, quem sequitur S. Augustinus hæres. 30.

Undecima hæresis solum Matthæum ex Evangelicis probat: auctorem hujus hæresis Ebionem fuisse, scribit Irenæus lib. I, cap. 26. Vide etiam de hac re Epiphanium hæres. 30, et Eusebium lib. III hist. Eccles. cap. 21.

Duodecima hæresis, quæ est Cerinthi, eodem teste Irenæo, l. III c. 11, solius Marci Evangelio utitur.

Decimatertia hæresis Marcionis est, ut Irenæus ibidem, et Tertullianus libro de præscrip. adversus hæreticos scriptum reliquerunt, solum Lucam in pretio habet; quanquam nec integrum, sed mutilum et corruptum, ut ex Tertulliano lib. IV contra Marcionem, et Epiphanio hæres. 24 planum est.

Decimaquarta hæresis Evangelistam nulum agnoscit, præter unum Joannem; cujus hæresis auctorem Valentinum ibidem Irenæus facit. Atque hanc hæresim vigere ac florere vehementer optasse videtur Martinus Lutherus, tametsi, quoniam rem esse hoc tempore nimis difficilem intellexit, non nimum operæ ac laboris in eo ponendum esse putavit. Certe præfatione in novum Testamentum, ut etiam Joannes Cochleæus animadvertit in libro de Scripturæ et Ecclesiæ auctoritate, cap. 3. et in Septicipite cap. 5, abolendam esse dicit illam falsam opinionem, quod sint tantum quatuor Evangelia. Item Joannis Evangelium esse unicum, pulchrum, verum, ac principale Evangelium, aliisque tribus longe ac late præferendum, adeo ut etiam Pauli ac Petri Epistolæ longe præcedant tria illa Evangelia Matthæi, Marci, ac Lucae.

Has quinque postremas hæreses veteres Patres ut refutarent, multis rationibus demonstrare conati sunt, non modo quatuor tantum esse libros Evangeliorum, verum etiam nec plures, nec pauciores confici debuisse. Vide Irenæum lib. III, c. 11; Tertull. lib. IV. in Marcionem; Ambrosium præfatione Commentariorum in Lucam, et lib. X, cap. 101; Eucherium lib. I in Gen. c. 14; Hieronymum præfat. Commentariorum in Matth. August. lib. I, de consensu Evangel. c. 6; Greg. hom. IV in Ezech. Et sane, ut rationes alias interim omittamus, quid signi-

ficare credenda sunt quatuor illa animantia, quæ Ezechieli et Joanni divinitus ostensa sunt, Homo, Leo, Vitulus, Aquila; nisi quatuor Evangelistas, Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem? Id enim non solum litteris et vocibus populi ubique testantur, sed ipsi etiam parietis signis et imaginibus clamant.

Quintadecima hæresis librum Actorum Apostolorum e numero divinorum voluminum detrahit. Auctores hujus hæresis multos habemus, Cerinthum apud Philastrium cap. 36; Cerdonem apud Tertull. de præscrip.; Tatianum apud Eusebium lib. IV hist. cap. 29.; Manichæum apud Augustinum lib. de utilitate credendi cap. 3.

Sextadecima hæresis Ebionitarum est, qui scripta omnia Pauli Apostoli rejiciunt, et ipsum Paulum Græcum atque apostatam vocant: testes sunt Irenæus lib. I, cap. 26., et Epiphanius hæres. 30. Eandem errorem Helcheseitis postmodum placuisse, scribit Eusebius in VI libro hist. Eccles. cap. 27.

Decimaseptima hæresis, quæ est Marcionis, testibus Epiphanio, hæres. 42., ac Hieronymo præfat. Comment. Ep. ad Titum, Epistolæ ad Timotheum et Titum integras respuit: e cæteris, quod sibi videtur, spongia sua delet. Refellit has tres hæreses accurate Petrus Cluniacensis Abbas in epistola priore adversus Henricianos et Petrobusianos: nec est operæ pretium in re tam perspicua tempus terere.

Postrema, eorum hæresis est, qui in ipsis B. Pauli epistolis, aliisque sacris ac divinis libris, non omnia scripta esse volunt dicente Spiritu sancto, sed aliqua interdum sola prudentia et ratione humana duce. Quocirca totam Epistolam ad Philemonem, ut more humano scriptam contemperunt. Laborabant olim hoc errore, tum Anomei apud Epiphanium hæres. 76, tum etiam alii quidam apud Hieronymum in cap. VI Michæe, et præfat. Comment. epist. ad Philemonem, et apud Augustinum lib. II contra adversarium legis et Prophetarum cap. 2.

Nostro sæculo Erasmus eandem hæresim renovavit: siquidem in annotationibus suis ad II et XXVII cap. Matth. non obscure scripsit, non esse metuendum, ne totius Scripturæ corruat auctoritas, si levis aliquis error in ea deprehendatur, præsertim cum Evangelistas interdum memoria lapsos Augustinus concedat, lib. III de consensu Evangel. cap. 7; et negari nullo modo posse videatur.

Refellunt hanc hæresim Epiphanius, Hieronymus, et Augustinus locis paulo ante notatis. Quia vero S. Augustini testimonio Erasmus abutitur, operæ pretium erit, ut hujus unius doctoris verba in medium adferamus. Sic igitur loquitur S. Augustinus, II de consensu Evangelistarum: «Omniem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam, quæ mentiendi promittitur, sed etiam eam, quæ obliviscendo (1).» Non igitur, ut vult Erasmus, errorem ex memoriæ lapsu Evangelistæ tribuit Augustinus.

Rursum in epist. 8 ad S. Hieronymum, inquit: «Admisso enim semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officinumque referatur.» Quæ ratio Augustini firmissima est, si enim erratum aliquod in Scripturis, sive imperitia, sive oblivione, sive alia quacumque humana imbecillitate ab auctore committi potuit, quicumque locus proferatur, de eo questio esse poterit, an in eo scribendo auctor non dormitaverit.

Quid igitur, inquires, sibi voluit Augustinus, cum in tertio libro, de consensu Evangelistarum, quod apud Matthæum legalur Hieremias pro Zacharia, nominis errorem tribuit lapsi memoriæ? Respondeo, non legisse me apud Augustinum errorem, vel lapsum, ut Erasmus dicit, sed a Spiritu sancto mirabiliter gubernatam mentem Evangelistæ, sine errore et sine lapsu. Id unum Augustinus dicit, scribenti Evangelistæ, divina providentia unius Prophetæ nomen pro alio occurrisse: in quo si lapsus, aut error fuit, certe Spiritus sancti fuit. Spiritum sanctum vero labi, aut errare posse, nemo sanæ mentis unquam dixit. Sed verba ipsa S. Augustini audiamus.

«Quid, inquit, intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro Zacharia Hieremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitis, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ sancto Spiritu rege-

batur, non frustra occurrisset aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esse insinuatam, ita omnes sanctos Prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius scilicet, quam si omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur, et ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum. Cum igitur et quæ dicta sunt per Hieremiam tam sint Zachariæ quam Hieremie; et quæ dicta sunt per Zachariam tam sint Hieremie quam Zachariæ; quid opus erat ut emendaret Matthæus; cum aliud pro alio sibi nomen occurreret a se scriptum relegisset, ac non potius sequens auctoritatem Spiritus sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurde, imo congruentissime etiam Hieremie deputaremus, quod per Zachariam dictum reperimus (2)?»

Argumenta quæ Melchior Canus lib. II. De locis Theolog. cap. 16, 17, 18, pro hac hæresi adducit, et diluit, præmittenda mihi esse putavi, tum quod ea apud nullum hæreticorum legerim, tum etiam quod ab ipso Cano facile peti possint.

CAPUT VII.

De libro Esther.

Hactenus de primo ordine sacrorum librorum disputatum est: nunc de libris singulis secundi ordinis, de quibus major difficultas est, seorsim disseremus. Ac primus se offert liber Esther, quem librum tres gravissimi scriptores extra Canonem posuerunt, Melito Asianus apud Eusebium lib. IV hist. cap. 26., Athanasius in Synopsi, et Gregorius Nazianzenus in eo carmine quod scripsit de

(1) Lib. II. Cap. 12. — (2) De consens. Ev. Lib. III. Cap. 7.

geninis Scripturis. Non defuerunt etiam qui librum quidem Esther inter sacros libros numerandum censuerint; septem vero postrema capita, quod in Hebraicis textibus non habeantur, ejus libri vera membra esse negaverint, et tamquam adulterina, atque aliena a reliquo corpore reseccanda putaverint. In qua sententia fuisse B. Hieronymum, ex ejus praefatione colligitur. Secuti S. Hieronymum sunt, non modo ante Concilium Tridentinum Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, Hugo et Thomas de Vio Cardinales in Commentariis hujus libri; verum etiam post Concilium Sixtus Senensis in lib. I et VIII Bibliothecae sanctae.

At librum hunc sacrum et divinum esse, satis certe probant omnia illa Pontificum et Conciliorum decreta; necnon tam multa Patrum Hebraeorum, Graecorum et Latinorum testimonia, quae supra in quarto hujus libri capite annotavimus. Nam si Melitonem, Athanasium, et Gregorium detrahas, reliqui omnes de libri hujus divina auctoritate consentiunt. Quod vero attinet ad ea capita, quae in Hebraicis codicibus non habentur, ea quoque ad sacrum Canonem pertinere his rationibus confirmamus.

Primum enim negari non potest, quin vetera Concilia, Laodicænum cap. 59, et Carthaginense III can. 47., veteresque Patres Graeci, Origenes in primum Psalmum, Eusebius lib. III Hist. cap. 23, Cyrillus Catech. IV, et Damascenus lib. IV cap. 18, necnon Patres Latini, Hilarius in primum Psalmum, Innocentius epist. 3, Rufinus in Symbolo, et Augustinus lib. II Doctr. Christ. cap. 8, cum inter sacros libros voluminem Esther numerant, de eo volumine esse locutos, quo tum ipsi, tum Ecclesia universa eo tempore utebatur. Utebatur autem eo tempore universa Ecclesia libris sacris juxta eam editionem, quam S. Hieronymus praefatione in librum Esther, et saepe alibi, vulgatam appellare solet, quae, ut ipse ait, Graecorum lingua et litteris continetur; in qua editione septem illa capita libri Esther, de quibus nunc agimus, non defuisse, testes sunt in primis ipsi Graeci textus, qui nomine septuaginta duorum Interpretum circumferuntur; testis quoque est S. Athanasius in Synopsi, ubi summam, et primas sententias singulorum librorum adscribit; testis denique est S. Hieronymus, qui in sua translatione aliquot locis admonet, septem ista capita in Hebraeis textibus non haberi, sed ex vulgata

editione a se esse deprompta. Quare si Concilia et Patres librum Esther, qualem ipsi legere consueverant in sacrum Canonem retulerunt; certe librum integrum, atque his septem adjunctis capitibus retulerunt.

Quid, quod Patres non modo librum ipsum inter sacros numerant, sed etiam ex postremae septem capitibus non raro testimonia petunt? Vide Chrysost. hom. 3 ad populum Antiochenum, et Augustinum epistol. 499 ad Adiciam. Quid, quod Origenes in Epistola ad Julium Africanum, hanc ipsam partem libri Esther, quae in Hebraeorum voluminibus non habetur, sacram et canonicam esse demonstrat? « In libro, inquit, Esther, neque Mardochei, neque Esther proces, quae legentes possunt edificare, habentur apud Hebraeos; sed neque epistola, neque quae ab Aman scripta est de eversione gentis Judaeorum, neque Mardochei ex nomine Regis Artaxerxis gentem a morte liberans. » Apud septuaginta autem et Thedotionem ea sunt. Et infra: « Vide ergo, ne imprudenter, et inscienter abrogemus exemplaria, quae habentur passim in Ecclesiis, et legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros: assententur autem Hebraeis, et persuadeant ut nos pariter impertiant, et qui nihil habeant figmenti. An non providentia in sanctis Scripturis dedit omnibus Christi Ecclesis adificationem? non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus? »

Acedit postremo decretum Trident. Conc. sess. IV, quo libri omnes in ipso decreto paulo ante numerati, cum omnibus suis partibus approbantur, prout in Ecclesia legi consueverunt, et in Latina vulgata editione habentur: ejus Concilii auctoritas, quamvis apud haereticos nulla sit, apud Sixtum tamen ceterosque Catholicos maxima atque antiquissima est.

Sed Concilium, inquit Sixtus lib. I, de veris librorum partibus loquitur, non de additamentis, qualia sunt postrema capita libri Esther. Atqui si ista Sixti responsio vera esset, multae aliae partes sacrorum librorum, Danielis, Marci, Lucae, Joannis apud Catholicos in discrimen vocarentur. Quod enim haberet Sixtus quod diceret, si ei ad eas partes divinarum voluminum conservandas, Concilii decretum quasi murum quemdam obstititenti, responderetur ab adversariis: Concilium de veris partibus esse locutum, ea vero additamenta esse, non partes?

Deinde quis ambigere poterat, certis libris a Concilio approbatis, omnes etiam veras partes eorum librorum esse approbatas? Quorsum igitur addit Concilium illa verba, cum omnibus suis partibus, nisi ut omnes intelligant, eas etiam partes, de quibus aliquando controversia fuerat, ad sacrorum librorum Canonem pertinere?

Denique Tridentinum Concilium sententiam suam sequentibus verbis ita luculenter explicuit, ut nullus omnino tergiversationi locus sit relictus. Cum enim dixisset: « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus », adjunxit continuo: « prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt (1). » Quis autem nescit, feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimae, publice in Ecclesia inter ipsa sacrorum sollemnium lectionem decantari ex XIII cap. Esther? Et rursum ex eodem capite lectionem pronuntiant in ea Missa, quae legi solet adversus Paganos? Ac demum orationem Esther recitari ex cap. XIV ejusdem libri, in Dominica 22 post Pentecosten, Evangelio ac Symbolo decantato? Sed opere pretium erit jam adversariorum argumenta diluere.

Aium primo, cum liber Esther Hebraico sermone scriptus sit, septem ista capita quae apud Hebraeos non habentur, sine dubio censori debere supposititia. Respondemus cum Origine loco notato, probabile esse aliquando ista etiam capita in textu Hebraico fuisse, deinde casu aliquo excidisse. Certe Josephus lib. XI Antiq. cap. 6, dum historiam Esther narrat, duas epistolas Assueri et orationem Mardochei non pretermittit: cum tamen nihil horum nunc in Hebraeorum codicibus habeatur; neque credibile est a Josepho haec esse conficta, cum ipse idem de se ista loquatur: « In ipso, inquit, historiae meae principio propter eos qui questionem faciunt, aut in aliquo culpae nituntur, astruxi dicens, translaturum me libros Hebraeos in eloquium Graecum: et hos volentibus aperire, neque adiciere me aliquid seorsum, neque subtrahere me promittens (2). »

Potest etiam responderi, primum libri hujus auctorem qui Hebraice historiam Esther scribendam suscepit, summam tantum historiae conscripsisse: deinde alio tempore scriptam fuisse historiam eandem ab aliquo copiosius, et translata in linguam Graecam a Lysimacho, regnante in Aegypto Pto-

lemæo Epiphane et Cleopatra, ut indicatur in hoc ipso libro cap. XI. Porro prioris auctoris librum ipsum Hebraicum, posterioris autem non ipsum librum, sed solum translationem ad nos pervenisse.

Secundo objiciunt: non coherere postrema ista capita cum superioribus; nam cap. II. narratur insidiae duorum Eunuchorum, et detectio earundem industria Mardochei. Deinde rursum eodem narratur cap. XI et XII, sed priori loco dicuntur insidiae factae fuisse anno septimo Assueri; et cap. VI additur, nihil omnino mercedis accepisse Mardocheum, qui eas patefecerat: in loco autem posteriore, dicuntur factae anno secundo Assueri, et additur, datis pro delatione muneribus.

Respondeo septem illa capita libri Esther, quae sunt postrema in editione Latina vulgata, non esse revera postrema, sed quadam eorum pertinere ad initium libri, ut cap. XI, et XII, quadam ad medium, ut cap. XIII, XIV, XV, XVI: quadam ad finem, ut cap. X; quod perspicuum est, tum ex Graecis codicibus ubi omnia suo ordine collocata sunt; tum ex annotatione S. Hieronymi inserta cap. X, XI, et sequentibus hujus libri in Bibliis Latinis. Patitur autem Ecclesia ea capita simul ad finem libri permanere, ubi ea S. Hieronymus collocavit, ut intelligamus, quid hujus libri sit, et quid etiam non sit in codicibus Hebraeorum.

Narratio igitur insidiarum quae habetur cap. XII, in Latinis Bibliis, ad initium libri pertinet, atque ibi narratur insidiae per anticipationem, quae rursum narratur postea suo loco c. II. Factae sunt autem anno secundo ut habetur cap. II; non autem anno secundo ut videtur colligi ex c. XI; siquidem illa verba c. XI: *Anno secundo regnante Artaxerxe*, etc. non debent extendi usque ad narrationem insidiarum, sed solum ad ea quae dicuntur idipso c. XI, id est ad somnium quod Mardocheus vidit, antequam Esther Assuero conjungeretur.

Quod vero objiciebatur de mercede delationis, non habet difficultatem. Nam etsi non habuerat Mardocheus mercedem pro delatione quando Rex jussit relegi sibi annales, ut dicitur cap. VI, tamen habuit postea amplissimam mercedem, quae describitur in eodem VI capite, et ea significatur cap. XII, per illa verba: *Datis pro delatione muneribus*.

(1) Sess. IV. — (2) Lib. X. Cap. 12.

Dices fortasse : si ista narrantur per anticipationem, cur in Græcis textibus sequitur : *Et factum est post hæc in diebus Artaxerxis, etc.* ? narrantur enim convivium Regis Assueri factum anno tertio regni ejus, et indicat Scriptura id factum esse post delectionem insidiarum, quas supra diximus anno septimo factas esse. Respondemus, illud *post hæc* non referri ad ea, quæ narrata sunt per anticipationem, sed ad somnium Mardochei quod suo leco narratum fuerat.

Obiiciunt tertio : pugnare ista capita postrema cum aliis partibus hujus libri, totumque librum suspectum reddere. Siquidem in epistola Assueri quæ habetur c. XVI, dicitur Aman gente atque animo Macedo fuisse, Persarumque imperium ad Macedones transferre voluisse : ex quibus verbis colligitur, historiam Esther incidisse in ultima tempora Regum Persarum. Nec enim timere potuit Assuerus, ne Regnum Persarum ad Macedones transferretur, nisi esset jam illud regnum alicujus nominis. Fuit autem regnum Macedonum obscurissimum usque ad tempora Philippi patris Alexandri Magni, ut Justinus testatur ad finem lib. VI, nec initio regni Philippi, sed anno vicesimo primum coeperunt vires ejus regni suspectæ esse Persis, ut Diodorus refert lib. XVI. Incidit autem annus Philippi vicesimus in annum vicesimum tertium Regis Artaxerxis Ochi, ut ex Chronico Eusebii cognosci potest. Atqui nullo modo fieri potest, ut post annum vicesimum tertium Ochi contingeret historia Esther: quæro enim, quis fuit Rex ille Persarum qui habuit Esther uxorem? Ochusne? At hæc historia non post annum XXIII, sed anno XII regni Assueri completa est, ut habetur in libro Esther cap. III. Num Arses Ochi successor? At ille solis quatuor annis regnavit; qua ratione nec Darius Arsis successor et postremus Persarum Rex maritus Esther esse potuit; quippe qui sex tantum annis regno potius est.

Adde, quod si ad finem regni Persarum pertinere historia Esther, supervixisset Mardocheus fere ad trecentos annos. Fuit enim Mardocheus translatus cum Jechonia ex Jerusalem in Babylonem a Nabuchodonosor Rege Chaldaeorum, Esther II et XI, et certe habuit tunc aliquot annos: deinde mansit in captivitate annis LXX. Supervixisset postea ab initio regni Cyri usque ad finem Ochi, qui sunt anni ducenti et viginti. Conjunge annos LXX cum annis CGXX., et adde ad

huc aliquot alios quos egit ante captivitatem, et invenies fere CCC annos. Et augetur difficultas etiam propter Esther; nam cum ipsa fuerit nephis Mardochei juxta Hieronymi versionem, aut patruelis juxta Hebraicos et Græcos codices, vel fuit æqualis Mardocheo, vel non multo junior; et quando etiam fuisset centum annis posterior, habuisset saltem vite annos ducentos cum ad nuptias Assueri pervenit. Quis autem credat annum ducentorum annorum esse illam formosissimam virginem, quam Rex Persarum præ omnibus mulieribus adamavit?

Respondemus: multas esse de tempore quo vixit Esther Scriptorum sententias; et quamquam non sunt omnes æque probabiles, tamen nulla est tam improbabilis, ut si eam sequamur, propositam objectionem diluere non possimus.

Aliqui igitur historiam Esther ante solutionem captivitatis Babylonice constituunt, voluntque Assuerum Darii Medi patrem, cuius sit mentio Daniel IX, eum esse, qui duxit uxorem. Quæ opinio placuisse videtur Melchiori Cano lib. XI. de locis cap. VI, et Gerardo Mercatori in Chronologia; qui auctores ad illam objectionem de Aman, qui transferre voluit imperium Persarum ad Macedones responderent: non ideo hoc voluisse Aman, quod jam tum regnum Macedonum ita floreret, ut cum Persis de imperio orbis terræ contenderet; sed contra potius, quia cum ipse gente Macedo esset, voluit gentem suam per ea tempora obscuram illustrissimam reddere, translato ad se et suos nobilissimo imperio.

Est tamen improbabilis hæc sententia. Primo, quia maritus Esther passim dicitur Artaxerxes, quod nomen Medis non convenit, cum sit proprium Regum Persarum.

Secundo, quia maritus Esther regnabat ab India usque ad Æthiopiæ, Esther I. Nunquam autem Medi tam amplum imperium possederunt. Loquimur autem de temporibus regni Medorum ante Cyri Monarchiam: tametsi enim eo tempore majus esset Medorum quam Persarum regnum, ut S. Hieronymus testatur in cap. V. Danielis; non tamen erat regnum illud Medorum tam amplum, quam postea fuit Monarchia Persarum, sive regnum Assueri mariti Esther.

Tertio, quia maritus Esther se et Persarum et Persarum Regem discrete vocat, Esther ult. At Assuerus, de quo agitur Dan. IX., de semine Medorum erat.

Quarto, quia maritus Esther regnum suum a Deo Hebræorum recognoscit, Esther ultimo. Nusquam autem legimus, Medos coluisse Deum Judæorum: de Cyro vero et posteris ejus id legimus. Nam Cyrus dicit: *Omnia regna mundi dedit mihi Deus cæli, et ipse justus, ut edificarem domum in Hierusalem* (1), et I. Esdr. (2) leguntur epistolæ Darii et Artaxerxis Regum Persarum, quibus Deum Judæorum hi Reges agnoscunt, et sacrificari pro se ac regno suo jubent.

Quinto, quia maritus Esther Susis regiam suam habebat, Esther I. At Susa non erat Medorum regia sed Persarum, ut scribunt Solinus cap. LVIII., Diodorus lib. XI. et Plutarchus in Artaxerxe. Neque his repugnant Justinus lib. I. et Q. Curtius lib. IV. qui Regiam Persarum scribunt fuisse Persepolis. Nam, ut refert Strabo lib. XV, et Persepolis et Susa Regiæ urbes Persarum erant: sed Persepolis ideo Regia dicebatur, quod apud eam gazæ et sepulcra Regum essent; Susa vero, quod in ea Reges ipsi morarentur. Susis autem sedem suam Cyrus constituit, quod cum ea civitas sita esset in finibus Assyriæ, Persidis, et Mediæ, commodissime poterat inde universum imperium defendi et regi. Non igitur Assuerus maritus Esther Medus aliquis fuit, sed Persa.

Aliorum opinio est, maritum Esther non alium esse posse quam Cambysem, qui etiam Assuerus dicitur, I. Esdr. 4. Quæ sententia Judæorum est in ea Chronologia, quæ ברר ירושם, id est, ordo sæculi inscribitur; et eandem sequitur Gilbertus Genebrardus in sua Chronologia.

Porro Judæi tres tantum numerant Reges Persarum, Cyrum, Assuerum, et Darium, qui a Magno Alexandro victus fuit: quocirca nulla eis quæstio remanet de etate Mardochei et Esther, vel de Aman et regno Macedoniæ. Tres autem tantum fuisse Reges Persarum, duobus testimoniis Scripturarum probant. Unum est Dan. XI, ubi Daniel posteaquam dixerat tres Reges futuros fuisse in Perside post Darium Medum, continuo subiungit de Alexandro: *Surgat vero Rex fortis, et dominabitur*, etc. (3) Alterum est in II libro Esdr. c. XII., ubi enumerat Nehemias magnos sacerdotes a Josue filio Josedece usque ad Jaddum, quem constat temporibus Alexandri Magni sacerdotio functum. Ex quo

sequi videtur, ut pauci admodum fuerint Reges Persarum, cum Nehemias, qui tempore Cyri primi Regis vir maturus erat, tempora Alexandri Magni attingeret, qui Persarum Monarchiam destruxit.

Sed hæc Judæorum opinio nullo modo nobis probari potest. Nam Assuerus maritus Esther supra duodecim annos regnavit, Esth. III. Cambyses autem non vixit in regno nisi annos septem et menses quinque, juxta Herodotum libro III., vel annos tantum sex, si Josepho Hebræo credimus, libro XI Antiquit. cap. II., quibus omnes alii Scriptores assentiuntur. Nec possunt Judæi dicere, multos præterea annos Cambysem regnasse cum patre suo Cyro, cum ipsum Cyrum tribus tantum annis regnasse idem Judæi velint.

Deinde Cambyses toto tempore imperii sui Judæos odio persecutus est, nec unquam permisit templum edificari Hierosolymæ; ut aperte colligitur ex lib. I. Esdræ. c. IV. Quis igitur credat, Cambysem illum Assuerum esse, qui post mortem Aman Judæorum amatissimus fuit? Quid quod Assuerus noster in libro Esther cap. ultimo indicat, se longo intervallo distare a temporibus Cyri, cum dicit, beneficio Dei cæli datum fuisse regnum majoribus suis, atque usque ad sua tempora conservatum! quæ certe in Cambysem non conveniunt, qui Cyro proximus fuit.

Neque fundamentum Hebræorum de tribus Persarum Regibus solidum est, cum non solum omnes omnino historici Græci et Latini contradicant, et ipse etiam Josephus natione ac religione Hebræus, sed etiam Daniel atque Esdras: Nam Danielis c. XI. post illa verba: *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside*, sequitur: *Et quartus ditabitur opibus nimis super omnes: et cum invaluerit divitiis suis, concitabit omnes adversus regnum Græcovum* (4). Quibus verbis aperte describitur, Xerxes, qui cum innumerabili exercitu venit in Græciam.

In libro autem I. Esdræ cap. IV. fit mentio Cyri, qui Templum extrui jussit; Assueri seu Artaxerxis, qui id ipsum prohibuit; et Darii, qui iterum imperavit ut Templum edificaretur. Deinde cap. VI. post Darium ponitur alius Artaxerxes, qui etiam nominatur in lib. II Esdræ cap. II. Cur autem Daniel

(1) II. Paralip. XXXVI. 23.; et I. Esdr. I. 2. — (2) I. Esdr. VI. et VII. — (3) Dan. XI. 3. — (4) Dan. XI. 2.

post Xerxem continuo transeat ad Alexandrum Magnum, ratio est, ut scribit in eum locum S. Hieronymus, quia Daniel non proposuerat historiam Regum texere, sed predicere regnorum mutationes. Numeravit igitur Reges Persarum usque ad Xerxem, qui bellum gessit adversus Græcos, ut indicaret, inde postea natam esse occasionem, ut Græci armarentur in Persas, eosque tandem Alexandro duce imperio spoliarent.

Alterum illud argumentum de numero Pontificum, diluit Beda lib. III in Esdr. cap. 32. ubi docet: Nehemiam enumerasse genealogiam Josue Pontificis usque ad Jaddum, quia Jaddi infantium attingit. Nam, ut habemus in II lib. Esdræ cap. ult., tempore Nehemie summus Pontifex erat Eliasib nepos Josue, et proavus Jaddi, qui tempore Alexandri jam senex pontificatum gerebat: inter finem autem Artaxerxis Longimani, cuius pincerna erat Nehemias, et initium Alexandri, sunt anni nonaginta quinque. Fieri igitur optime potuit, ut Jaddus qui tempore Alexandri senex erat, tempore Nehemie infans esset.

Alia sententia aliorum est, maritum Esther esse Darium Hystaspis, qui Cambysi successit. Quæ sententia Joannis Carionis est in Chronico, et Joannis Benedicti in annotationibus marginalibus ad librum Esther; et quanquam superioribus duabus probabilior est, mihi tamen ob illa ipsa argumenta, quæ ipsi pro se adferunt, rejicienda videntur.

Dicunt, existimare se Darium Hystaspis esse Assuerum nostrum, tum quia duos uxores habuit, Atossam, et Arystonom; tum etiam quia morabatur in urbe Susa: quæ duo referuntur de Assuero nostro in lib. Esther. At Herodotus lib. III. docet, tam Atossam quam Artistonam uxores Darii, filias Cyri fuisse; quod certe nostræ Esther non convenit: incoluisse autem Susam non est proprium Darii, sed commune Regibus Persarum, ut supra docuimus ex Strabone.

Alia sententia, et quidem valde celebris, Artaxerxem Mnemonem maritum Esther facit: ita Eusebius docet in Chronico, quem Beda in libro de sex ætatibus, et permulti alii Scriptores sequuntur.

Sed adversus hanc sententiam duo sunt non levia argumenta. Primum scribit Josephus in primo libro Contra Appionem, non haberi apud Hebræos in canone sacrorum librorum eos libros, qui post tempora Arta-

xerxis Longimani scripti sunt. Siquidem librorum sacrorum canonem Esdras composuit, cuius vita non extenditur ultra tempora Longimani: at liber Esther semper in canone Hebræorum fuit, ut ex eodem Josepho in lib. XI. Antiquitatum, cap. 6. et in eodem lib. I. Contra Appionem colligitur: non igitur historia hujus libri ad tempora Mnemonis referenda est.

Deinde Artaxerxis Mnemonis vitam diligenter scripsit Plutarchus, qui tamen ne inuit quidem aliquid eorum, quæ habentur in lib. Esther, quin potius contrarium inde colligitur. Narrat enim Plutarchus, Artaxerxem Mnemonem duas conjuges habuisse, Statiram et Atossam: neutra autem esse potest Vasthi aut Esther, quæ uxores Assueri nostri fuerant. Nam Vasthi repudiata fuit, Esther 1., Statira autem veneficio interfecta dum adhuc Regina esset, et cum ingenti Regis dolore: Atossa vero repudiata nunquam fuit, sed vixit cum Artaxerxe usque ad ejus mortem. Jam vero Esther Hebræa erat genere, et in matrimonium accepta ab Artaxerxe anno septimo regni ejus, Esther II., Atossa autem non Hebræa, sed Persica, et ipsius Artaxerxis filia erat: Statira vero, non anno septimo regni assumpta, sed antequam regnare inciperet Artaxerxes ab eo ducta fuerat.

Est igitur postrema sententia, eaque meo quidem judicio maxime probabilis, Josephi libro XI cap. 6., nec non Sulpitii lib. II sacrae historiae, et Nicephori Constantinopolitani in Chronico, et multorum aliorum, quos sine nomine refert Eusebius in Chronico, qui docent, Assuerum maritum Esther non alium esse posse, quam Artaxerxem, qui dictus est Longimanus, quam sententiam nos etiam sequimur, tum quod argumenta, quibus alias sententias refutavimus, adversus hanc sententiam nihil efficiant, tum etiam quia, si cui fides adhibenda est in hac historia, maxime Josepho, qui et Hebræus et sacerdos et peritissimus rerum Hebræicarum erat. Verisimile etiam est, Nehemiam Hebræum idecirco pincernam tanti Regis esse potuisse, quia et Regina Esther Hebræa, et Præfectus palatii Mardocheus Hebræus erat.

At, inquirunt, si Mardocheus cum Rege Joachim translatus fuit ex Hierusalem in Babylonem; quomodo fieri potest ut usque ad tempus Artaxerxis Longimani supervixerit? Respondeo, non esse id omnino incredibile: sunt enim ab initio captivitatis Ba-

bylonicæ usque ad Longimanum anni circiter 163: non est autem incredibile, eo tempore Mardocheum superasse annum 163, quando diu postea S. Paulus Eremita annum attingit 113., S. Hieronymo teste, et nos ipsi viderimus senem annorum 103, ita robustum et vegetum, ut multos adhuc annos supervicturus esse videretur.

Deinde, quod Scriptura dicit, Mardocheum translatum fuisse in Babylonem cum Rege Joachim; recte intelligi potest, etiam si nondum natus fuisset Mardocheus. Siquidem transferri potuit, non in se, sed in parentibus, aut majoribus suis, quemadmodum Zorobabel et Josue dicuntur rediisse in Hierusalem ex captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, II. Esd. VII., et tamen Zorobabel natus est in ipsa captivitate, Math. I., et idem verisimile est de Josue filio Josedech. Et Genes. XLVI., ac Deuter. X. legimus, intrasse in Ægyptum cum Jacob septuaginta animas, in quo numero comprehenduntur duo filii Joseph, qui nati erant in Ægypto: nec alla ratione dici possunt in Ægyptum esse ingressi, nisi quia Joseph, in cuius lumbis ipsi erant, in Ægyptum intraverat.

CAPUT VIII.

De libro Baruch.

De libro Baruch controversia fuit, et est; tum quia non invenitur in Hebræis codicibus, tum etiam quia nec Concilia antiqua, neque Pontifices, neque Patres, quos supra citavimus, qui catalogum librorum sacrorum taxant, hujus Prophetae disertis verbis meminerunt. Itaque propterea ex Catholicis, Joannes Driedo hunc librum negat esse canonicum, lib. I. De Scripturis et dogmatibus Ecclesiasticis, cap. ult. ad argumentum ultimum; ex hæreticis Joannes Calvinus lib. III. Institut. cap. 20. §. 8., et Kemnitius in exam. IV. sessionis Concilii Tridentini.

Ceterum nobis contrarium persuadet Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quæ in Concil.

Trident. sess. IV. Prophetam Baruch inter sacros libros numerat: et in profesto Pentecostes palam lectionem ex libro Baruch cum lectionibus aliorum sacrorum librorum legi jubet.

Nec desunt etiam veterum Patrum testimonia, quæ adversariis opponamus. Cyprian. lib. II. Contra Judæos, c. 3. «Item apud Baruch, inquit, hic est Deus noster, etc.» et Ser. de orat. Dominica citat epistolam Hieremias, quæ est ultimum cap. Baruch: «Per Hieremiam, inquit, Spiritus sanctus suggerit, et docet dicens, in sensu autem tibi debet adorari Deus.» S. Hilarius præf. Comm. in Psal. nominatim ponit in canone epistolam Hieremias. B. Cyrill. lib. X. in Julianum, nominatim citat Baruch. Clem. Alexand. lib. II. pedagogi, cap. 3. «Pulchre, inquit, dicit alicubi divina Scriptura,» etc. citans cap. III. Baruch. B. Ambrosius, lib. I. de fide, cap. 2. citans illa verba Baruch III. *Hic est Deus noster, et non estimabitur altus ad eum,* inquit: «Unum Deum dicit Scriptura,» etc. Et infra: «Quid discutimus eum, de quo tantus Propheta dicit, Spiritus sanctus dicit, quod ad eum non possit alius estimari?» Theod. totum hunc librum exponit, et in cap. 2. scribens, aperte vocat divinam Scripturam. Euseb. lib. VI. Demon. Evang. cap. 49. citat cap. III. Baruch, et postea, «Nihil oportet, inquit, addere divinis vocibus.»

Denique Veteres passim allegant hunc librum sub nomine Hieremias, propterea quod Baruch Notarius et discipulus fuerit Hieremias: ut patet ex libro Hieremias, cap. 36. quæ causa fuit, cur Concilia antiqua, et Patres non posuerint Baruch nominatim in canone, quia nimirum hunc librum partem esse judicabant Hieremias vaticiniorum. Clemens Alexandrinus, libro I. Pedagogi, cap. 40. citat nomine Hieremias illud Baruch: *Audi Israel mandata vite* (1), et illud Baruch: *Beati sumus Israel, quia quæ Deo placeant, manifesta sunt nobis* (2). Beatus Ambrosius lib. I. de Penitentia, capite 8. recitat nomine Hieremias quædam ex capite III., et quædam ex cap. V. hujus libri: et lib. III. Hexam. cap. 14. ponit alia ex cap. IV. S. Basilius lib. 4. in Eunomium non procul a fine, et S. Joannes Chrysostomus in oratione, quod Christus sit Deus, contra gentes adducunt locum illum Baruch: *Hic est Deus noster* (3),

(1) Baruch. III. 9. — (2) Ibid. IV. 4. — (3) Baruch. III. 36.

nomine Hieremias. S. Augustinus lib. XVIII. de Civitate Dei, cap. 33. eundem locum dicit ab aliquibus citari nomine Baruch, sed a pluribus nomine Hieremias. Denique eundem locum nomine Hieremias citant Sixtus Papa I. in epist. ad omnes Fideles, Felix IV. in epist. ad Petrum Antiochenum, et Pelagius I. in epist. ad Vigilium.

Quæ cum ita sint, non poterit certe Baruch repudiari, nisi Hieremias etiam repudietur. Ut enim nulla fuit unquam apud Veteres controversia de libro Hieremias, ita quoque censendum est de libro Baruch nullum apud eos controversiam extitisse.

CAPUT IX.

De quibusdam capitibus Danielis.

Judæi, teste B. Hieronymo præfatione in Daniele, nihil faciunt Hymnum trium puerorum, qui habetur cap. III. Danielis, nec non Susannæ historiam, quæ habetur cap. XIII., et historiam draconis quem Daniel interfecit, quæ habetur cap. XIV. Pari ratione Porphyrius lib. XII., ex iis quindecim quos scripsit adversus Christianos, eodem Hieronymo teste præfatione Comment. in Daniele; nec non hæretici hujus temporis, ut Kemnitius in examine IV. sess. Concil. Trid., et præcipue Anabaptistæ in eodem versantur errore.

Nec solum hæretici, Pagani et Judæi, sed etiam ex Christianis Catholicis, olim Julius Africanus historiam Susannæ tanquam adulterinam et neotericam repudiavit, teste Eusebio lib. VI. hist. cap. 23. Ex recentioribus, Joannes Driedo lib. I. de Scripturis et dogmatibus Ecclesiasticis cap. ult. Ex semichristianis, Erasmus in scholiis super præfationem B. Hieronymi in Daniele, idem senserunt.

At nihilominus certum est, has omnes partes Danielis vere esse canonicas, quod probatur primo ex Concilio Tridentino, et usu Ecclesie; quod argumentum apud Driedonem cæterosque Catholicos magnam vim habere debet. Concilium sess. IV. jubet, recipi libros sacros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueve-

runt: Hymnus autem trium puerorum legitur, cum in Missa in Sabbato quatuor temporum, tum omnibus diebus festis in præcibus Officii matutini: Historia Susannæ legitur tota in Missa in Sabbato ante Dominicam quartam Quadragesimæ: denique historia draconis interfecti legitur in Missa feræ tertie post Dominicam quintam Quadragesimæ. Neque solum hoc tempore, sed etiam ante annos 1200, legebantur in Ecclesia istæ omnes partes Danielis, ut Rufinus testatur lib. II. adversus Hieronymum.

Probatur secundo testimonio Veterum, Beatus Ignatius in epist. ad Magnesianos citat historiam Susannæ ex cap. XIII. Danielis: eandem citat Tertullianus libro de Corona militis. S. Cyprianus in serm. de oratione Dominica producit hymnum trium puerorum, ac dicit, Scripturam esse divinam, in qua ille hymnus continetur. Idem in serm. de lapsis: « Loquitur, inquit, Scriptura divina, etc. » citat verba eorundem puerorum in igne. Lib. I. epist. 8. adducit historiam Susannæ, lib. IV. epist. 6. historiam draconis, et eandem lib. III. epist. 4. l. I. epist. 4. item serm. de orat. Dominica, et ser. de elemosyna citat historiam prandii Habacuc allati ad Daniele. B. Basilium lib. De Spiritu sancto cap. 30. Epiphanius in Ancorato, et B. Joannes Chrysostomus hom. 4. ad populum, citant hymnum, vel historiam trium puerorum: et serm. de tribus pueris, ac serm. de Susanna, qui habentur in fine primi tomi, easdem historias explicat, et divinas vocat. Theodoretus in Comment. Danielis, etiam hymnum trium puerorum cum cæteris partibus Prophetæ ejusdem exponit. B. Ambrosius, lib. III. De Spiritu sancto, cap. 7. tractans historiam Susannæ, aperte docet, eam Scripturam esse divinam, ut sunt aliæ partes ejusdem Prophetæ.

B. Augustinus libro De natura boni cap. 46. probat contra Manichæos, res corporeas esse bonas ex hymno trium puerorum, ubi lux et tenebræ, etc. laudant Deum. Et epist. 122. ad Victorianum citat orationem Azariæ, et tract. XXXVI. in Joan. adducit historiam Susannæ. Origenes studiose defendit has partes Danielis, et præcipue Susannæ historiam, canonicam Scripturam esse contendit; tum homil. I. in Levit. tum in epistola ad Julium Africanum. B. Athanasius in Synopsi ubi ad Daniele pervenit, et argumentum

totius libri breviter explicat, disertis verbis meminit Susannæ, hymni trium puerorum, et draconis interfecti: et aperte indicat, hæc omnia ad corpus divinæ Scripturæ pertinere.

Denique credibile est, Concilia vetera, ut Laodicenum, et Carthaginiense III., et priscos Patres qui Græca editione utebantur, cum Daniele in numerum sanctarum Scripturarum retulerunt, de eo libro Danielis esse locutos, qui in Græcis vulgatis codicibus habebatur. In Græcis autem vulgatis codicibus istæ omnes partes sine dubio habebantur, ut ex Synopsi Athanasii, et Commentario Theodreti aperte colligitur, necnon ex præfatione Hieronymi in Daniele, ubi testatur, Ecclesiam Christi Daniele legere ex editione Theodotionis, in qua editione hæc omnia habebantur.

Sed objiciunt adversarii, primo B. Hieronymi sententiam, qui cum in præfatione Danielis a se in Latinum conversi, tum in præfat. Commen. in Daniele satis indicat ista capita non esse alicujus auctoritatis. Respondet ipse Hieronymus in Apologia II. contra Rufinum circa finem, se non quid sentiret explicuisse in prologis illis, sed quid Judæi dicerent indicasse.

At Hieronymus etiam ibi vocat fabulas historiam Susannæ et draconis. Respondeo; eum cum dicit fabulas, velle dicere historias, quas Judæi fabulas vocant: addo etiam, interdum Veteres nomine fabularum, non res fictas, sed veras narrationes appellare. Quomodo Luc. ult. *Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent, etc.* (1), et Minutius Felix initio dialogi, quem Octavianum inscripsit, fabulam vocat veram quamdam narrationem nescio cujus navigationis. Clemens quoque Alexandrinus apud Eusebium libro III. histor. cap. 23. narraturus verissimam historiam S. Joannis: « Audi, inquit, fabulam non fabulam, » etc. quasi dicat, audi fabulam, non tamen fictam et falsam, sed certam et veram.

Secundo objiciunt, quod in historia Susannæ Daniel introducitur tanquam puer: *Suscitavit, inquit, Dominus Spiritum sanctum pueri junioris* (2). At hoc non potest esse verum, nam supra c. VI. dicitur Daniel fuisse unus ex primis Satrapis regni Darii Medi, quo tempore certe non erat puer; quomodo ergo postea cap. XIII. dicitur esse puer?

Si dicas, Scripturam non ordine narrare omnia, sed prius quæ postea facta sunt, et propterea in codicibus Græcorum, ubi ordo servatur, ab historia Susannæ totum librum incipere. Contra: nam in istocap. XIII. satis aperte indicatur, historiam Susannæ contigisse initio regni Cyri Persarum Regis; sic enim concluditur caput: *Et Rex Astyages apposuit est ad Patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus* (3). Itaque ex isto capite habemus, Daniele fuisse puerum tempore Cyri: hoc autem est falsum. Nam Daniel puer translatus est cum Rege Jechonia a Nabuchodonosor ex Hierusalem in Babylonem, ut dicitur Dan. I. Porro ab eo tempore usque ad Cyrum fluxerunt anni septuaginta, ut patet lib. I. Esdr. cap. 4. Initio igitur regni Cyri Daniel agebat circiter annum 80 vel 90., qualis ergo puer erat nonaginta annorum?

Adde, quod etiam tempore Nabuchodonosor non videtur Daniel fuisse puer, sed jam olim defunctus: cum Ezechiel, qui prophetauit tempore Nabuchodonosor, anno quinto transmigrationis, ut dicitur Ezech. I., meminerit Danielis tanquam olim defuncti; sic enim ait caput. XIV. *Si Noe, Daniel et Job fuerint in medio ejus, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt* (4). Daniel igitur eo tempore jam haberat filios, et mortuus erat sicut Noe et Job.

Respondeo, historiam Susannæ contigisse longe ante tempora Cyri, cum Daniel revera esset puer, et ideo merito apud Græcos poni in principio libri: nec tamen male apud Latinos rejectum esse ad extremum librum, ut intelligeremus eam non haberi apud Hebræos. Quod autem dicitur in fine cap. XIII. post historiam Susannæ: *Et Astyages apposuit est ad Patres suos, et suscepit Cyrus Perses regnum ejus*; non refertur ad historiam Susannæ proxime narratam, sed est initium alterius historie quæ contigit sub Cyro. Itaque in codicibus Græcis, historia Susannæ est I. cap. totius libri: illa autem verba: *Et Rex Astyages apposuit est ad Patres suos*, ponuntur in principio ultimi capituli, ubi narratur historia Belis destructi, et draconis interfecti.

Ad illud autem de Ezechiele respondet B. Hieronymus lib. I. in Jovinianum; ab Ezechiele mentionem fieri Danielis, non olim

(1) Luc. XXIV. 15. — (2) Dan. XIII. 45. — (3) Dan. XIII. 65. — (4) Ezech. XIV. 14.

et Job, quia notus erat populo ob liberationem Susanne, et interpretationes somniorum: vel, ut idem Hieronymus dicit in cap. XIV Ezech., quia sicut Noe vidit felicitatem Mundi ante diluvium, postea calamitatem tempore diluvii, et rursum felicitatem post diluvium: et Job vidit felicitatem suam ante tentationem, postea suam miseriam in tentatione, et rursum felicitatem post tentationem: ita Daniel vidit se felicem in regia Judaeorum ante captivitatem, postea captivum et miserum, tandem rursum felicem, cum a Dario inter summos Principes est constitutus. Neque necesse est, tunc Daniele habuisse filios et filias, quia per hypothesis loquitur Ezechiel, ac si diceret: huiusmodi isti tres hic essent, et haberent filios et filias, non possent eos ab imminente malo liberare.

Obijciunt tertio, quæ dicuntur cap. XIV de Daniele misso in lacum leonum pugnare cum iis, quæ dicuntur cap. VI. Nam c. VI. dicitur, fuisse tantum una nocte in lacu leonum, cap. XIV sex diebus.

Respondeo, bis Daniele missum esse in lacum leonum, sèmel a Dario Medo, quoniam precatus erat Deum contra præceptum Regis, et tunc fuisse tantum una nocte; et hoc narrari cap. IV. Iterum autem missum esse a Cyro propter interfectum draconem, et tunc fuisse sex diebus, ut dicitur c. XIV. Adde, quod non est improbabile, non eundem esse Daniele istum, qui Susannam liberavit, Bel destruxit, ac draconem interfecit, et in lacu leonum sex diebus fuit, cum eo de quo agitur in superioribus capitibus, ita enim multos olim sensisse testatur Hieronymus præfat. in Comment. Daniel., et aperte Græca editio LXX habet, hunc posteriorem fuisse de tribu Levi, ut ibidem Hieronymus notat, cum certum sit, priorem fuisse de tribu Juda. Quæ si ita se habeant, duo argumenta jam facta nullam habent difficultatem.

Obijciunt quarto, historiam Susanne videri omnino confictam ab aliquo Græco. Nam ubi nos habemus: *Dicit, sub qua arbore videris eos colloquentes sibi; qui ait, sub Schino. Dicit autem Daniel, recte mentitus es in caput tuum; ecce enim Angelus Dei scindit te medium* (1): in Græco allusio quædam est elegantissima ab arbore Schino ad actionem scindendi; nam *σκινα* est arbor, *σκινα* est scindere; et cum alter dixerit se vidisse eos sub

primo, allusit Daniel ab arbore primo ad actionem scindendi; nam *σκινα* est arbor, *σκινα* est scire: quomodo si quis diceret, ubi vidisti eos? sub ilice; illico ergo interfocieris. At in Hebræis nulla talis allusio fieri potuit; nam quod Græci dicunt *σκινα*, nos ilicem, Hebræi dicerent *עץ*. At scicare, scindere, dividere dicunt *בקע כלה כרק* *בדק בורק*.

Respondet Origenes in epistol. ad Julium Africanum, Daniele non dixisse ilicem, neque lentisum, sed aliquid aliud nobis ignotum, cui tamen secundum proprietatem lingue Hebraicæ vel Chaldaicæ, qua ipse utebatur, aliquod verbum secundi responderet. Plurimas enim voces Hebræi habent, quæ significant scindere, vel scicare: porro interpretem Græcum non vertisse ad verbum, sed ad sensum, et ut servaret allusionem accepisse alias arbores similes, quibus in Græco responderet allusio ad verbum scindendi.

CAPUT X.

De libris Tobie, Judith, Sapientie, Ecclesiastici, et Machabeorum.

Hi libri simul omnes rejiciuntur ab Hebræis, ut B. Hieronymus testatur in prologo Galeato. Deinde Hebræorum sententiam sequuntur hæretici hujus temporis fere omnes. Magdeburgenses lib. II. cent. 4. c. IV. col. 51. solos eos libros recipiunt, quos Judæi recipiebant. Idem facit Martinus Kemnitius in examine sess. IV. Concilii Tridentini. Item Joannes Brentius in Confessione Wirtembergensi, cap. de Scriptura sacra, eos tantum libros de quibus nunquam est dubitatum recipi vult, qui sunt ii soli, qui a Judæis recipiuntur. Calvinus lib. I. Instit. cap. 11. §. 8. arguit mendacium librum Sapientie, tantum abest, ut eum recipiat. Lib. II. cap. 5. §. 18. librum Ecclesiastici non vult esse solide auctoritatis. Lib. III. cap. 5. §. 8. idem judicat de libris Machabeorum. In antidoto autem Concilii Trident. sess. IV. Tobiam quoque et Judith repudiare videtur. Calvinum sequuntur ministri illi, qui apud

(1) Dan. XIII. 54.

Pissicum confessionem Fidei ediderunt. Denique Lutherus et Zwinglius in præfationibus Bibliorum a se conversorum, quiaque istos libros a sacro canone avellunt, et præcipue libros Machabeorum non esse alieni auctoritatis contendit Lutherus in Assert. art. 37, qui est de Purgatorio.

Ecclesia vero Catholica libros istos ut cæteros pro sacris et canonicis habet. Sed antequam id probetur, notandum est, hæreticos, et præsertim Kemnitium, non negare hos libros esse bonos, et sanctos, et dignos qui legantur; sed tamen non esse tales, ut ex iis firma argumenta duci possint: hoc modo eludere conantur ea testimonia Veterum, in quibus hi libri vocantur Sacri, vel Ecclesiastici. Quocirca probandum nobis est, hos libros ita esse sacros, ut sint infallibilis veritatis; id quod probatur, primum de omnibus generatim, deinde seorsim de singulis.

Primum igitur hos libros una cum cæteris in canone ponunt Concilia Carthag. III. can. 47. Trid. sess. IV. Pontifices, Innocentius I. in epist. ad Exuperium. Gelasius I. in decreto de libris sacris et Ecclesiasticis, cum LXX. Episcopis. Denique Patres, Augustinus lib. II. Doctr. Christ. cap. 8. Isidorus lib. VI. Etymol. cap. 4. Cassiodorus lib. I. Divinarum lectionum, et Raban, lib. II. De Institut. Clericorum. Ponunt autem in his locis ut libros infallibilis veritatis, inde colligitur, quod numerantur et ponuntur in eodem ordine cum aliis, qui sunt infallibilis veritatis.

Præterea quod Concilium Carthaginense, ex quo cætera Concilia istum canonem desumpserunt, vocat hos libros non solum canonicos, sed etiam divinos: librum autem esse divinum quid aliud est, quam divinam auctoritatem habere? Item quod in locis prædictis dicantur libri canonici et ad canonem pertinere: porro librum esse canonicum, est esse infallibilis veritatis.

Et certe vanissima est distinctio Kemnitii, qui libros quosdam canonicos dicit esse infallibilis veritatis, et quosdam non esse: nam, ut ipsemet recte deducit ex B. Augustino lib. XI. Contra Faustum cap. 5. et lib. II. Contra Cresconium c. 32., dicuntur libri canonici, quia sunt quasi norma et regula, qua imperitiae nostræ regatur infirmitas, et ex qua de omnibus aliis libris judicetur. Quomodo ergo erunt norma et regula libri illi, qui non sunt infallibilis veritatis?

At contra primo obijcit hoc modo Kemnitius: B. Augustinus lib. II. Doct. Christ. c. 8. dicit, in libris canonicis illud observandum, ut qui recipiuntur ab omnibus Ecclesiis præponantur illis, qui non recipiuntur ab omnibus et majoris auctoritatis habentur. At si essent omnes infallibilis veritatis, non deberet unus alteri præponi, sed essent omnes ejusdem auctoritatis. Adde quod B. Hieronymus in prologo Galeato dicit, libros canonicos dividi in Legem, Prophetas et Hagiographa, et ipse idem præfatione in Judith dicit, hos libros inter Hagiographa etiam a Judæis numerari, et tamen non esse idoneos ad Fidei dogmata confirmanda.

Respondeo, B. Augustinum fuisse certissimum, omnes libros canonicos esse infallibilis veritatis: sed non fuisse æque certum de omnibus libris, quos enumeraverat an esse canonicos. Nam etsi ipse ita sentiebat, tamen sciebat, rem non fuisse adhuc a generali Concilio definitam, et propterea potuisse sine lahe hæresos quosdam libros ab aliis non recipi. Id igitur est, quod dicit observandum esse in libris, qui dicuntur canonici, ut ii qui ab omnibus recipiuntur præponantur iis, qui non ab omnibus recipiuntur. Quia videlicet de prioribus major tunc erat certitudo, quam de posterioribus, quod essent canonici: nunc autem quia generalia Concilia rem totam definitur, æque certi sumus de auctoritate omnium librorum, nec unum alteri præponere debemus.

Quod autem B. Augustinus revera senserit, omnes eos libros, quos ibi vocat canonicos, esse infallibilis veritatis, patet, tum ex Concilio Carthaginensi III. cui ipse subscripsit: tum etiam quia non potest proferri unus locus ex Augustino ubi librum aliquem vocet canonicum, et tamen de ejus veritate dubitari posse dicat: contra vero possunt infinita loca proferri ubi dicit, omnes libros qui canonici vocantur esse infallibilis veritatis. Epist. XIX. ad Hier. « Ego solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid erasse firmissime credam. » Eodem modo loquitur ep. 8, 9, 48, 112, lib. II. De Bapt. c. 3. in Psalm. LXVII. Lib. II. Contra Cresconium cap. 31. et 32. Lib. XI. Contra Faustum c. 5. et alibi passim.

Ad locum Hieronymi dico: duo genera Hagiographorum Judæos habuisse, quædam infra Arcam, et quædam extra Arcam, ut

docet Epiphanius libro de mensuris et ponderibus. Quae erant intra Arcam Hagiographa dicebantur ad distinctionem historicorum et propheti-
corum voluminum, et haec canonica habebantur, et de his loquitur Hieronymus in prologo Galeato: quae autem erant extra Arcam, dicebantur Hagiographa ad distinctionem canonicorum et sacrorum, et de his loquitur Hieronymus in praefatione Tobiae et Judith, ex quo patet, nunquam canonicos dici a Hieronymo eos libros, de quibus dubitari possit.

Secundo obijciunt idem Kemnitius, et ceteri adversarii hanc rationem. Ecclesia, quae fuit eo tempore quo libri isti editi sunt, dubia fuit de eorum auctoritate; necessario igitur etiam Ecclesia posterior de eisdem libris dubia esse debet. Nam duplex est via cognoscendi an aliquis liber sit vere divinus; una ex testimonio alicujus quem constat Prophetam, vel Apostolum esse, cui Deus mysteria revelare soleat: altera, ut August. docet lib. XXXIII, Contra Faustum cap. 6., per testimonia certa eorum qui vivebant dum liber ederetur, qui testentur, libros illos a Prophetis, vel Apostolis editos, et quorum testimonia per successionem hominum iis libris utentium ad nos usque de-
verenerit, sic enim non solum de sacris, sed etiam de profanis libris iudicamus.

Non habet locum hoc tempore prima via; non enim nunc Prophetae vel Apostoli in terris vivunt; ergo secunda via progrediendum est, et ex testimoniis primae Ecclesiae debemus nos de libris canonicis statuere: ergo si prima Ecclesia dubia fuit, multo magis nos dubitandi causam habemus. Dubitasse autem de his libris Synagogam Judaeorum, patet ex Joseph lib. I. contra Appionem. In simili dubitatione versatam primam Ecclesiam Christianorum, patet ex Origine, Athanasio, Nazianzeno, Epiphanio, Hieronymo, et ceteris Patribus supra citatis, qui hos libros in canone non ponunt, et aperte dicunt, semper de his libris questionem inter doctos homines fuisse.

Respondeo, Ecclesiam veterem dubitasse de his libris, duobus modis intelligi posse: uno modo, quod ita fuerit dubia, ut nulli homines ejus temporis essent, qui testari possent eos libros a Prophetis vel Apostolis editos, et hoc modo argumentum suas habet vires, ideo enim librum Henoch non recepit Ecclesia, quia nulla habuit testimonia ejus temporis, quo liber scriptus erat, nec etiam

temporum proximorum, ut Beatus Augustinus docet lib. XVIII. De Civit. Dei cap. 38. Sed negamus hoc modo dubiam fuisse primam Ecclesiam; constat enim, semper fuisse aliquos fide dignos, qui hos libros canonicos putarent.

Altero modo potest intelligi, Ecclesiam dubitasse, quia aliqui dubitabant, nec tamen ipsa Ecclesia tunc rem istam definire voluit; et hoc verissimum est, ut recte probant testimonia adducta: sed non potest inde colligi, posteriorem Ecclesiam dubiam esse debere, idque hoc modo probamus. De libro Judith fuit initio dubitatum, et tamen Nicæna Synodus eum librum in canone recepit, teste Hieronymo praefatione in Judith, quam Synodus una cum tribus aliis haeretici recipiunt, et magni faciunt, non igitur dubitatur semper dubitare, etiamsi aliquando dubitatum est.

Praeterea si libri isti Testamenti veteris non possunt nunc certo pro canonicis recipi, quia de his dubitavit prima Ecclesia: eadem ratione non poterunt certo pro canonicis accipi epistola Jacobi, Jude, Apocalypsis, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, et epistola ad Hebraeos; quia de his etiam dubitatum est in prima Ecclesia. At Calvinistae recipiunt pro vere canonicis hos omnes libros, ut patet ex Calvini libris, in quibus passim hi libri citantur, et ex confessione ministrorum Calvinistarum art. III. quam Pissiaci obtulerunt anno 1561. Lutherani autem etiamsi varie sentiant de his libris, tamen Magdeburgenses recipiunt Apocalypsim ut vere canonicam, cent. I. lib. II. c. 4. col. 56.

Ad illud autem quod obijciunt de duabus viis indagandi librorum auctoritatem; admitto illas duas esse vias, et nunc non esse Prophetas, vel Apostolos, et oportet progredi secunda via etc.: sed affirmo, ad hoc ut sequens Ecclesia possit decernere librum aliquem esse canonicum, satis esse, si habeat aliqua testimonia hominum fide dignorum illius temporis, vel certe proximi.

Itaque non dicimus, ut Kemnitius impudentissime calumniatur, Ecclesiam, id est, Papam posse pro suo arbitratu sine ulla Veterum testimoniis facere librum canonicum de non canonico, et de canonico non canonicum; et quod si Papa vellet, Scriptura divina non plus haberet auctoritatis, quam fabulae Aesopi; ista enim non sunt nostra asserta, sed ipsorum mendacia. Fatemur

enim, Ecclesiam nullo modo posse facere librum canonicum de non canonico, nec contra: sed tantum declarare quis sit habendus canonicus, et hoc non temere, nec pro arbitrato, sed ex Veterum testimoniis et similitudine librorum de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur, ac demum ex communi sensu, et quasi gustu populi Christiani, quomodo B. Hieronymus lib. de vir. illustr. in Jacobo dicit, epistolam Jacobi paulatim tempore procedente meruisse auctoritatem.

Jam haec tria in his libris declarandis canonicis Ecclesia observavit. Primum enim habuit de singulis Veterum testimonia: etsi enim non habeantur testimonia a Synagoga Judaeorum, tamen habentur ab Ecclesia Apostolica, et hoc sufficit. Apostoli enim poterant sine aliis testimoniis declarare libros illos esse canonicos, quod et fecerunt; alioqui nunquam Cyprianus et Clemens, et alii, quos citabimus, tam constanter dixissent eos esse divinos. Deinde viderant esse conformes aliis. Denique observarunt, istos libros paulatim ab omnibus Christianis pro canonicis receptos, quod argumentum habere non poterant, qui in prima Ecclesia fuerunt.

Postrema objectio hujusmodi est: Ecclesia eos libros recipit, quos B. Hieronymus recipit; eos reprobat, quos ille reprobat, ut patet dist. XV. can. Sancta Romana: B. autem Hieronymus in prologo Galeato, et in prologo Proverbiorum asserit, hos quinque libros non esse canonicos. Ita Cajet. Catholicus alioqui, et pius doctor argumentatur ad finem Commentariorum Esther.

Respondent aliqui: B. Hieronymus solum dicere, non esse canonicos apud Judaeos, ac certe in prologo Galeato simul cum istis libris veteris Testamenti numerat etiam librum Pastoris, qui est novi Testamenti, et omnes simul dicit non esse in canone, non igitur de canone Judaeorum tantum loquitur. Praeterea in prologo Proverbiorum: « Sicut ergo, inquit, Judith, et Tobiae, et Machabeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit; sic et haec duo volumina Sapientiam, et Ecclesiasticum legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. »

Admitto igitur, Hieronymum in ea fuisse opinione, quia nondum generale Concilium de his libris aliquid statuerat, excepto libro Judith, quem etiam Hieronymus postea re-

cepit. Quod autem Gelasius dicit in illa dist. 15. can. Sancta Romana, intelligitur de libris Doctorum, ut Origenis, Rufini, et similia, non de libris sacris, ut ex ipso canone manifeste deducitur.

CAPUT XI.

De libro Tobiae.

Nunc de singulis libris seorsim agemus, eosque et propriis argumentis communicemus, et peculiare objectiones, quae adversus eos sunt, breviter diluamus. Jam igitur liber Tobiae praeter communia testimonia Conciliorum et Patrum paulo ante adducta, testimonium insigne habet a S. Cypriano, qui in sermone de elemosyna: « Loquitur, inquit, in Scripturis Spiritus sanctus, et dicit, elemosynis et Fide delicta purgantur. » Callixtus Papa I. in epist. 2. Tobiam allegans: « Bene, inquit, sacra ait Scriptura; » et S. Ambrosius in libro De Tobia cap. 1. librum hunc prophetica Scripturam esse dicit. Item S. Basilius in Oratione de avaritia sententiam ex Tobia descriptam divinum praecipuum appellat. Sanctus quoque Augustinus in Speculo praefatur, ex canonicis libris se sententias collecturum, nec tamen omittit Tobiam.

Contra vero obijci solet, quod hic liber secum ipse alicubi pugnare videatur. Nam in cap. III. dicitur Sara, quam in uxorem habiturus erat Tobias junior, habitasse in Rages civitate Medorum: ubi etiam fuisse Gabelum habemus, Tob. IV. Postea tamen c. IX. cum Tobias pervenisset ad locum ubi erat Sara inde misit Angelum ad Gabelum in Rages; falsum est igitur domum Sarae fuisse in Rages.

Michael Medina lib. VI. De recta in Deum Fide cap. XIV. vitio Scriptorum cap. III. legi arbitratur, in Rages cum in Graeco sit *in Esbatane*. Sed vix credibile est talem errorem contingere potuisse, cum nulla sit inter Rages et Esbatane similitudo. Alii, ut Lyranus, dicunt, vel duas fuisse Rages in Media, vel certe in c. III. vocari Rages, non ipsam civitatem, sed locum aliquem vicinum: dicitur enim habitare Romae, qui Tuseuli, vel alibi in agro Romano habitat. Haec sententia communior est, et verior.